

Tab. V.

PATELLA ANOMALA

PATELLA testa rudi, fusca, orbiculari vertice submarginali. *Zool. D. prodr.* 2870.

Dan. Haar - Kröllen.

ANIMALCVLVM ab inhabitante patellarum limace toto coelo diuersum, testa vero generi conuenit, substantia tamen penitus inspecta aliquantum diuersa est.

TESTA integra suborbicularis, extus scabra, inaequalis, variolosa, fusca, vertice marginem versus posito, subacuto, integro, intus albido-caerulescens foveolata, oculo armato confertim punctata.

Vermis singularissimus constat lobis duobus spirali-
bus seu cincinnis binis carnosus, albis, fimbria ex cirris capillaribus confertissimis, rigidiusculis cinctis. Hi cincinni annectuntur funiculo duplici caerulescente, testae et saxo adeo adhaerente, vt ab utroque non absque dilaceratione, remanente semper in testa et in saxo aliqua corporis mole, auelli queat.

Cincinno quaelibet ramificatio fusca cornua damae referens tegitur; in ipso lapide, testa auulsa, residua ouulis flauicantibus vndique obsita conspicitur.

Hanc esse Nummum Brattensburgensem auctorum, conf. *Fn. su.* 1347, ed. 1746, ex adiectis figuris verosimile videtur, at ille biualuis est.

In faxis et testis biualuium passim; primo aspectu et tactu inaequalitates lapidis, cui insident, non testaceum quid crederes.

A 5

Fig.

Fig. 1. Saxum tribus patellis passim oblitum ac vnus ouaria ramosa derelicta, testamque Serpulae ac frustum Milleporae polymorphae exhibet.

Fig. 2. Faciem exteriorem

Fig. 6. interiorem patellae

Fig. 3. vero ipsum inhabitatorem naturali magnitudine offert.

Fig. 4. Animalculum cincinnatum ligamentis et musculis testae adhaerens aduersa parte aucta magnitudine monstrat.

Fig. 5. lobos spirales cirratos e testa euulsos auersa parte exhibet.

Fig. 7. ouaria ramosa musculorumque vestigia aucta magnitudine.

Fig. 8. ouula maxime aucta,



Zool. d. T. V.
pag. 4.

(Patella : Crania : anomala)